

in tanta rerum copia ⁽¹⁾ deesse nemini argumenta possint , et si alius alia sibi commemoranda proposuerit . Verum una mihi relicta erat , Tuarum , CARDINALIS AMPLISSIME , Patruique Tui laudum celebrandarum causa , eademque sicuti aliis Scriptoribus propemodum intacta , ita mihi , meisque Orientalibus propria & peculiaris .

Quid enim de singulis in Ecclesiis Orientales collatis Pontificiæ munificentiae studiis dicam ? Profecto nulli Orientalium populorum genti , amantissimi illius beneficentissimique Pontificis præclara liberalitatis ac benignitatis argumenta defuere : nullam is opportunitatem abire passus est , qua non communi Gentium omnium bono consuleret . In primis acceptum CLEMENTI XII . referunt Ægyptii atque Æthiopes , quos Coptos & Abissinos vocamus , quod illicis ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ , omnium Ecclesiarum Matris ac Magistræ , gremium confugientibus , domicili lo-

cum

(1) Singula Clementis XII. Pontificis vere maximi opera , ex ipsis Inscriptionum verbis qua Romæ , quæque extra Urbem leguntur , habes apud Sandinum in Vitis Pontificum Röm. pag. 582. & apud Cl. V. Angelum Fabronium in Commentario de vita & rebus gestis ejusdem Pontificis a pag. 173. Vide Clarif. V. Marium Guarnacci Histor. Romanor. Pontificum , & S. R. E. Cardinal. Tom. 2. pag. 61. & 575.